



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. Quam ab causam incurratur, & quomodo ignorantia excuset.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

rimonia contraxisse, alterum spirituale cum Christo Domino, alterum carnale cum muliere.

Sexta ex infamia; quæ etiam ex delicto enormi, & publico parentum, & ex vili conditione personæ oritur.

Septima ex defectu libertatis; Proinde irregulares sunt servi proprie dicti, necnon originarii, ex Laym. hic cap. 8., donec plenam libertatem consequantur; Item conjugati, nisi uxores consentiant, & voveant castitatem; Curiales etiam, seu obligati juramento, vel stipendio Curie seculari, ut Judices, Advocati, &c., quousque in his officiis detinentur; Milites pariter donec juramento tenentur; Thesaurarii, & Depositarii publici, & qui Rempublicam administrant; Ac demum Apparitores, & alii, qui sæva, aut turpia exercuerunt, aut in causa sanguinis ministrarunt, ut mox dicemus.

Octava ex defectu lenitatis, videlicet ex licita mutilatione, aut homicidio in bello justo, aut in judicio: Quandoquidem Sacerdos representat personam Christi, qui lenissimus fuit, & neminem unquam læsit. Non est autem irregularis ex defectu lenitatis, qui alium occidit in defensionem inculpata sui, aut proximi; Nec qui hortatur ad fortiter pugnandum, sed solum qui in bello justo propria manu alium mutilat, aut occidit; & qui in judicio justo ad mutilationem, vel mortem alicujus cooperatur active efficaciter, & proxime, ut infra examinabimus.

VIII. Porro Irregularitas dividitur in totalem, & partialem: Totalis privat omni Ordine suscipiendo, & exercitio Ordinis suscepti; Et talis est, quæ contrahitur ex homicidio, bigamia, &c. Partialis vero privat aliquo tantum exercitio Ordinis, & ascensu ad Ordinem superiorem; Verbi gratia si Sacerdoti pollex amputetur, fit inhabilis ad sacrificandum, non ta-

Part VIII.

men ad audiendas Confessiones, &c. Et si amputetur pollex Diacono, fit inhabilis ad Sacerdotium, non vero ad exercendum munus Diaconi. Appellatur etiam ab aliquibus Irregularitas partialis, quæ non est in perpetuum, sed ad tempus; Verbi gratia, pro tempore durantis infantia, morbi, infamiae, &c. Sed hæc improprie dicitur Irregularitas.

ARTICULUS II.

Quam ob causam incurratur Irregularitas ex delicto? Et Quomodo ignorantia excuset?

- I. Irregularitas non incurritur, nisi propter delictum externum simul, & consummatum, ac in suo genere perfectum.
- II. Negandum verius posse Pontificem pro veniali culpa Irregularitatis pœnam imponere.
- III. Non requiritur, quod delictum, cui annectitur Irregularitas, sit publicum, aut quod probari possit.
- IV. Excusat ab ea incurrenda ignorantia probabilis, seu non crassa tam juris, quam pœnæ.
- V. Qui parrato homicidio excusatur ab Irregularitate ex delicto ob ignorantiam probabilem, non fit irregularis ex defectu lenitatis.
- VI. Quamvis esset minus lenis Homicida, quam Minister justitiæ, non per hoc ille etiam contrahit Irregularitatem ex defectu lenitatis.
- VII. Episcopus probabiliter potest dispensare in Irregularitate contracta ob homicidium occultum voluntarium, quod tamen in judicio probari nequit: Sed in Irregularitate ex defectu lenitatis dispensare non potest; Quare universim homicida, qui ab Irregularitate ex delicto excusatur, non contrahit Irregularitatem ex defectu.

Y I. Quæ-

I. Quæritur primo; Quænam culpa requiratur ad Irregularitatem ex delicto incurrendam?

Respondeo, requiri culpam externam consummatam, & mortalem. Quod requiratur culpa externa, & consummata, nec satis sit sola culpa interna, aut exterius tantum inchoata, constat ex iis, quæ diximus quæst. 1. art. 4. Unde fit, ut irregularitatem non incurrat, qui verbi gratia vulnerat aliquem lethaliter animo illum mutilandi, aut occidendi, si vere illum non mutilet, aut occidat. Ita communiter contra Glossam ultimam in cap. *Perniciose*, de *Pœnit. dist. 1.*, & contra alios perpauca Juristas. Et ratio est, quia de facto nulum jus fert irregularitatem, nisi propter delictum exterius consummatum, puta propter homicidium: Quicquid fit, utrum actus internus possit subiacere iudicio Ecclesiæ? quod communiter etiam negatur.

II. Quod vero requiratur etiam culpa mortalis ad incurrendam irregularitatem ex delicto, communiter Doctores docent contra Cajet., Armil., Covar., & Cordub.; Etenim irregularitas censetur esse pœna gravis; cum privet magno bono in perpetuum sine spe restitutionis; ergo supponere debet culpam gravem: Quare quoties culpa est levis, aut ex levitate materiæ, aut ex defectu plenæ deliberationis, irregularitas non incurritur.

Putant aliqui apud Bonac. punct. 3., & Avil. disp. 2. dub. 3., posse Pontificem pro veniali culpa irregularitatem imponere; quamvis de facto solum pro mortali sit imposita: Sed negat verius Escob. cap. 1.; quia pœna esset improporcionata culpæ.

III. Quæritur secundo; An requiratur, quod delictum, ob quod irregularitas incurritur, sit publicum, aut notorium, ita scilicet ut probari possit?

Respondeo negative; quicquid con-

tradicat Castro, & Glossa in cap. *Ex tenore*, de *temporibus Ordinationum*. Ratio est, tum quia jura imponunt irregularitatem incurrendam ipso facto, ad quod probatio non est necessaria; tum etiam quia Trident. sess. 24 cap. 6. tribuit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus provenientius ex delicto occulto; ergo ex Trident. constat, etiam ob delictum occultum irregularitatem incurri.

IV. Ex dictis infertur cum Bonac. punct. 3., Irregularitatem ex delicto non incurri interveniente ignorantia probabili, seu non crassa; nam sicut ignorantia probabilis excusat a culpa, ita etiam a pœna; Immo non solum ignorantia juris, sed etiam ignorantia pœnæ excusat ab irregularitate incurrenda, ut constat ex iis, quæ diximus de Censuris in genere art. 6. num. 7. cum Sanch. lib. 9. de *Matrim. disput. 32.*, Bonac., & Con. contra Suar. sect. 5., Reginal., Filliuc., Laym. Rationes, quas fuisse adducit Con., sunt, tum quia cap. 2. de *Constitution. in 6.* dicitur, *Ignorantes non ligari constitutionibus Ordinariorum, nisi eorum ignorantia sit crassa, vel supina*; Et eadem est ratio de constitutionibus Pontificiis; Tum etiam quia cap. *Proposuisse*, dist. 82. habetur, Clericos, qui impure vixerunt, si ignorabant constitutionem Siricij id sub pœna depositionis prohibentis, venia dignos esse, nec hac pœna plectendos; Eadem autem est ratio de pœna depositionis, ac de pœna irregularitatis; Tum demum quia irregularitas ex delicto valde affinis est censuræ, præsertim in eo, quod reus illam in se teneatur exequi; cum ergo censura ignorata non incurratur, nec irregularitas. Et ratio a priori est, quia ignorans legem Ecclesiasticam prohibentem aliquid sub pœna irregularitatis, vel censuræ, quamvis aliquan-

do peccet contra legem naturalem, verbi grat., patrando homicidium Clerici; at non peccat contra legem Ecclesiasticam, quam ignorat; ergo non est dignus, qui pœna ab Ecclesia imposita puniatur. Quamvis autem irregularitas ex delicto ignorata non incurratur, incurritur tamen irregularitas ex defectu, etiamsi ignoretur; hæc enim non imponitur ab Ecclesia tanquam pœna, ut patet, sed est impedimentum canonicum statutum ab Ecclesia ob aliquam indecentiam, ut homo cum tali defectu Altari ministret; & ideo etiam ignorata incurritur.

Neque dicas, hinc sequi homicidam ignorantem irregularitatem homicidis statutam melioris esse conditionis, quam sit Judex iuste condemnans reum ad mortem; hic enim irregularitatem ex defectu lenitatis incurreret, ille nullam.

Nam quamvis homicida nullam irregularitatem incurrat, non per hoc est melioris conditionis, quam Judex; cum sit reus pœnæ æternæ: Sicuti qui machatur, quamvis non incurrat irregularitatem, quam incurrit Judex iuste damnans reum, non per hoc dicitur melioris conditionis; cum sit reus pœnæ æternæ.

V. Mendo in Epitome V. *Censura* num. 7. quamvis censeat ignorantiam irregularitatis ex delicto excusare ab illa incurrenda, excipit irregularitatem ex homicidio; putat enim in tali casu incurri saltem irregularitatem ex defectu lenitatis. Sed rejicitur a triginta Doctoribus citatis a Dian. part. 11. tract. 2. resol. 63., & part. 3. tract. 5. resol. 79., quia irregularitas ex defectu lenitatis non imponitur a jure personis privatis, sed tantum ministris justitiæ ad mortem concurrentibus, necnon occidentibus in bello iusto: ergo qui iniuste aliquem occidit, ignorans impositam esse homicidio pœnam

irregularitatis, nullam irregularitatem incurrit: Quod aperte etiam docet Cornejo apud Leand. de Irregularit. tract. 1. disp. 4. quæst. 6., & alii apud Dian. part. 12., & Less. cap. 9. dub. 21.

VI. Neque obstat, quod minus lenis sit, qui alium iniuste occidit tanquam persona privata, quam minister justitiæ concurrentis ad mortem; ergo si iste incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, a fortiori ille.

Nam contra est; quia Ecclesia irregularitatem ex defectu lenitatis dumtaxat statuit pro ministris justitiæ; sicut etiam pro occidentibus in bello iusto; in lege autem positiva non tenet argumentum a minori ad majus. Præsertim quia ministri justitiæ, & milites veluti ex habitu solent ad iustas occisiones procedere, quod a lenitate, & mansuetudine Christi Domini videtur alienum. Qui vero alium culpabiliter occidit, non solet ex habitu sic delinquere, & irregularitatem incurrit ex delicto, nisi ignorantia excuset.

VII. Confirmatur, quia quamvis Episcopus ex Trident. (sicut etiam qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ut Generales, & Provinciales religionum) non possit dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario occulto, tamen potest dispensare in tali irregularitate, si homicidium voluntarium sit omnino occultum, (quod scilicet ad notitiam hominum, & ad iudicium deduci non potest, & probari) ut multi probabiliter docent apud Dian. part. 7. tract. 2. resol. 15., & apud Mojam tract. 5. quæst. 2. ex Bruno, Tabien., Texeda, Rodriq. tom. 1. quæst. regular. quæst. 14. art. 2.: Etenim Concilium dum negat Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate orta ex homicidio voluntario occulto, videtur loqui de eo homicidio occulto, quod

Y z non

non est probatum in iudicio, potest tamen probari; non vero de homicidio omnino occulto, quod nec probatum est in iudicio, nec potest probari: Ex alia parte Episcopus nunquam potest dispensare in irregularitate orta ex defectu lenitatis, ut docent communiter Doctores apud Dian. part. 4. tract. 2. resol. 69.; ergo homicida non contrahit irregularitatem ex defectu lenitatis, & consequenter, si ignoret, impositam esse poenam irregularitatis homicidio, neque irregularitatem ex delicto contrahit.

ARTICULUS III.

Quisnam possit Irregularitatem imponere, & Erga Quos?

- I. Irregularitas de facto a jure imponitur, & incurritur ipso facto in casibus dumtaxat in jure expressis.
- II. Non incurritur Irregularitas in casu simili, aut majori, si non sit id expressum.
- III. Capax est Irregularitatis quicumque capax est Ordinis, aut exercitii Ordinis, dempto Pontifice.
- IV. Episcopi, & Cardinales Irregularitatem incurrere possunt, quamvis de iis non fiat expressa mentio.
- V. Potest ex multiplici capite multiplex Irregularitas incurrere, ita ut una sublata, altera remaneat.

I. **Q**uaritur primo; Quisnam possit imponere Irregularitatem? Respondeo, Irregularitatem a solo jure canonico imponi; Quo nomine venit tam corpus juris, quam Bullae, vel decreta Pontificia, & Concilia approbata. Ita in cap. *Is qui, de sententia excommunicat.* Potest etiam per sententiam, seu ab homine Irregularitatem ferre Pontifex, etiam pro delicto mere praterito; cum possit Pontifex in jure communi dispensare, ut

notat Bonac. punct. 3., & Avil. **¶** Hinc sequitur primo, quod quando in Canone praecipitur, ut alicui poena per iudicis sententiam imponatur, talis poena nunquam sit irregularitas, sed vel suspensio, vel depositio; cum irregularitas a iudice, qui sit inferior Papa, infligi non possit.

¶ Sequitur secundo, irregularitatem semper incurrere ipso facto independenter ab executione iudicis, & ab eius sententia, etiam declaratoria criminis; quia ipsum jus immediate irregularitatem infert, & sententiam profert.

Sequitur tertio, non esse admittendam ullam irregularitatem ex consuetudine, nisi sit in jure scripto expressa. Ita Bonac. punct. 2. cum Suar. ex cap. *Is qui* citato contra Laym. cap. 1. dicentem, quod consuetudo per tacitum consensum Papa sit constitutiva juris, etiamsi jus scriptum desideretur. Verum quia caput citatum *Is qui* requirit jus expressum, ideo non satis est tacitus consensus Ecclesiae, & Pontificis habitus ex consuetudine.

II. Sequitur quarto, Irregularitatem non incurrere in casu simili, aut majori, quam sit ille, cui annexa est excommunicatio; siquidem solum incurritur in casu a jure expresso.

III. Quaritur secundo; Quisnam possit irregularitatem incurrere?

Respondeo, Omnem, & solum hominem capacem aut Ordinis, aut exercitii Ordinis esse pariter capacem irregularitatis, excepto Pontifice, qui in terris Superiorem non habet; unde a suis legibus obligari non potest quoad vim coactivam, sed solum quoad vim directivam. Ratio cur omnis capax Ordinis possit irregularitatem contrahere, est, quia potest illi prohiberi susceptio, aut exercitium Ordinis, & sic fieri irregularis. Ratio vero cur solus huiusmodi homo, & non alius possit irregularitatem contrahere, est, quia